

ex voto Tuo adferri curabo, simulac de eius incolumitate in hisce terris certus ero factus.

Abitus D. D. Lambergii hoc momento instans me has litteras citius, quam vellem, abrumpere cogit. Non citius vero hoc facere possum, nisi postquam me de novo amicitiae Tuæ commendaverim et continuationem fructuosi Tui commercii epistolici ex Te erogitaverim. Vale et in orbis litterarii emolumentum diu et bene Vale. Dabam Havniæ. d. 23. Julii. 1757.

(27) Generosissimo Equiti, experientissimoque  
 Archiatro,  
 Carolo Linnæo,  
 M. P. F.  
 Christianus Gottlieb Kratzenstein.

Ad Naturalistarum Principem jam iterum par ex optimis Auditorum meorum delege, Widemannum nimirum, Theologiæ, et Stormium, Medicinæ Candidatum (inter quos præcipue prior non contemnenda fundamenta in historia naturali posuit) vt se in hoc campo, Te Duce, vltius perficiant, in Academia Vpsaliensi per aliquot annos commoraturi. Si ad eam benevolentiam, qua sponte omnes advenas excipere soles, aliquid accedere poterit, eos Tibi et præcipue Widemannum, quem amo, studiose commendo. Hunc forsân et Tu, Vir generosissime, si ei propiore aditum ad Te concesseris, propter morum gratam simplicitatem, mentis integritatem et sinceritatem, et præcipue propter amorem suum historiæ naturalis et felix ingenium amabis. Eius notitia in studio naturæ, præter physicam, quam perbene callet, potissimum regnum animale eiusque posteriores ordines, nonnihil etiam regnum minerale spectat. In regno vegetabili, cum ad gustum et intentionem plurimorum me accommodare debeam, auditoribus meis paucis istis, qui botanicam amant, levissima tantum fundamenta generalia tradere possum; nam si vellem, instructi bene horti medici defectus (horti quidem duo adsunt medici) non faveret. Idem Widemannus, in lingvis peregrinis, angli-